



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCXLVII. Markgraf Albrecht von Brandenburg überläßt der Stadt Friedland
das bei einigen Dörfern der Umgegend gefundene Uebermaaß, am 20.
November 1288.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

Mehtehildem contrahendum predictae inimicitiae sedari poterant, ac per hoc potentiae ac feruitie tartarorum, qui nuper magnam partem Poloniae nequiter deualtarunt, quique denuo ad partes illas redituri timentur, cum ipsius Marchionis auxilio, diuina fauente gratia, potentissime obuiari, cum eadem Mehtehildi matrimonium per uerba de presenti contraxit, carnali postmodum inter eos copula subsecuta. Quare iisdem Dux et Mehtehildis nobis humiliter supplicarunt, ut cum a separatione huius matrimonii, si eam contingeret fieri, suscitari possent praefatae inimicitiae per contractum ipsius matrimonii iam sopite, prouidere ipsis in hac parte de dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque de circumspectione uestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati uestre tenore presentium committimus per apostolica scripta mandantes, quatinus praemissis ueris existentibus, super quibus uestram intendimus conscientiam onerare, cum praefatis Duce, et Mehtehildi, auctoritate nostra dispensare curetis, ut impedimento consanguinitatis predictae nequaquam obstante, in eodem matrimonio possint licite remanere, prolem eorum suscipiendam, legitimam nunciando. Quod si non ambo hijs exequendis potueritis interesse, alter uestrum in ea nichilominus exequatur. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem, X. Kalendas Nouembrijs, anno Primo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Epistol. Nicolai IV. Nr. 234. T. I. Anni I.

CCXLVII. Markgraf Albrecht von Brandenburg überläßt der Stadt Friedland das bei einigen Dörfern der Umgegend gefundene Uebermaß, am 20. November 1288.

Nos Albertus, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, Recognoscimus notum facientes omnibus quam presentibus tam futuris, quod cum Consensu heredum nostrorum, dum villa Schwichtenberg viginti mansos habuit et illos obtinuit debitam per mensuram, totum reliquum et residuum tam in lignis quam in agris cultis circa metas ville ejusdem, nostre Fredelandt vendidimus ac donauimus Civitati. Insuper villis Klockow et Hagen, in palude versus silvam tres funes, qui Sehl vocantur, habentibus mensuratos, et quicquid residuum est aut inueniri poterit, tam in pratis quam lignis, hoc integraliter predictae nostre Civitati tradidimus proprietatis titulo perenniter possidendum. Et ne in posterum ab heredibus nostris et successoribus, haec nostra donatio irritari valeat aut infringatur, hanc paginam civitati nostre dedimus supra dictae, Sigilli nostri appensione munitam, in evidens Testimonium et memoriam sempiternam. Hujus vero rei Testes sunt milites infra scripti Hinricus de Wildenhagen, Hinricus Milner, Hinricus de Polchau Pincerna, Hinricus Mandeuffel tunc temporis Advocatus, Henricus de Pula similiter Advocatus, Ludolphus de Platen, Henricus de Lanckow, Fridericus et Chatemar de Dargatz, Guntherus de Rehberg, Christianus de Dolle, Otto de Valckenberg et Wilhelmus et Lubrecht Porp, et quam plures alii fide digni. Datum in Verbelino, Anno Domini M. CC. LXXX. VIII. XII. Calend. Dezembr.

Klüber a. a. D. II, 142. Frank a. a. D. Bd. V, Cap. XIV, S. 106. — Der Ort der Ausstellung ist von diesen Editoren „Vberlino“ gelesen.